



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118847**

§. 62. Monita Cæsaris ad Palatinum, Imperii Principes, Præfectos, & Civitates Imperiales.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67326](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67326)

**Sæc. XVII.** „Imperii, totque innoxiarum regionum  
**A. C. 1620.** „calamitates misertus, Bohemiam red-  
 „dere velit ei, qui ad hanc coronam  
 „jure successionis vocatus, unctus &  
 „inauguratus fuisset, cui etiam Bohe-  
 „mijuramento sese obstrinxissent: Dein  
 „Dux Fridericum rogabat, ut Turca-  
 „rum, & Transylvani Principis socie-  
 „tati nuntium mitteret, suique Patrui  
 „Philippi exemplum sequeretur, qui  
 „merito: *Defensor Patriæ contra imma-*  
 „*nissimum Turcam, ejusque progressus, ap-*  
 „*pellabatur...* Ast tantum absuit, ut  
 Fridericus paternis hisce monitis flecte-  
 retur, quin potius cunctos, qui sese  
 temerariis ejus ausibus opponebant,  
 tanquam Imperii hostes traduceret.

### §. LXII.

*Monita Cæsaris ad Palatinum, Im-  
 perii Principes, Præfectos, &  
 civitates Imperiales.*

*Merc. l.c.*  
*pag. 91.*  
*Jæger. Hist.*  
*Eccl. l. 10.*  
*cap. 1.*

Postquam Maximilianus Dux, ceteri-  
 que Principes in Cæsaris fide con-  
 stantes Protestantibus larvam, qua sub  
 Germanicæ quietis, & meræ defensio-  
 nis obtentu prava sua consilia honesta-  
 bant, tam luculentis rationibus dete-  
 xerant, ut Cæsar, ne suis partibus de-  
 esse, aut proscriptionis pœnam temere  
 pronuntiasse videretur, adhucdum die  
 trige-

trigesima Aprilis datis literis Friderico Sæc. XVII.  
 exprobaret, quod licet Cæfareæ electioni A.C. 1620.  
 ipsem per suos Legatos interfuisset,  
 nihilominus violata fide Bohemiæ Re-  
 gnum, armis sibi vindicare, & subdi-  
 tos sacramento solvere ausus fuerit,  
 tametsi ergo, prosequebatur Cæsar, *caus-*  
*sæ satis haberem, in publico hoc rebellio-*  
*nis, qua Regnum meum hæreditarium mihi*  
*ereptum per vim detines, negotio contra te*  
*statim procedendi, & pœnam ex legum &*  
*constitutionum Imperialium (quibus præ-*  
*judicatum tamen, & derogatum his moni-*  
*torialibus literis nihil volo) præscripto,*  
*sine mora exequendi, operæ pretium tamen*  
*facturum me puto, si monitoriales hisce li-*  
*teras adhuc præmitterem. Moneo igitur te*  
*& ex Cæsarea potestate severissime præci-*  
*pio, ut sub pœna constitutionibus Imperii*  
*expressa intra primæ Junii diei terminos,*  
*ex Regno isto mèo decedas, secus, literas*  
*banni declaratorias adversus te promulgare,*  
*& debitum pœnarum executionem sine*  
*mora adhibere cogor, quod publicis hisce*  
*literis tibi & omnibus notum facere volui.*

### §. LXIII.

#### *Friderici Palatini literæ contra Fer-* *dinandi Imperatoris electionem.*

Eodem die Ferdinandus datis ad Fœ-  
 deratos, Principes literis quereba-  
 tur,  
 Q q 4